









1705, 10

A2

###

JOH. BERNHARDI *Griesen* / JCTI  
CONSILIARII SAXONICI AVLICI ET CON-  
SISTORIALIS, ANTECESSORIS ET FA-  
CVLTATIS IVRIDICÆ ADSESSO-  
RIS, IAM DECANI

*PROGRAMMA INAUGURALE*

*De*

Genuina *Ablativorum absolutorum*

Indole

Occasione leg. 9. C. de cont.  
emt & vendit.

---

LITERIS WERTHERIANIS.

*Matt. Nik. Braun*

JOH. BERNHARDI. *De jure ICTL*  
CONSILIARIU SAXONICI AVICCI ET CON-  
SISTORIATIS ANTICIPICUS ET CIVILIS  
CARTATIS IURIDICIS LIBERECO.

PROGRAMM IN JURISCRITICE

Cessatione p[ro]p[ri]etatis a p[re]cepto  
Tutoris  
Oeculatione vel o[ste]r[em]one  
cum 3. certiori

---

Litteris VITELLIANIS



Egulam communi Doctorum opinione,  
probatam usque receptam: ablativos  
absolutos inferre necessitatem, occasione  
leg. i. C. de jur. emt. fusiū consideravimus.  
Quia vero hæc doctrina aliis admo-  
dum est suspecta, ratione leg. s. C. fin. neg.  
eorum quoque fundamenta in medium protulimus.  
Sed cum Candidatus noster in lectione, ut vocari con-  
suevit, cursoria, interpretari constituerit l. 9. C. de cont.  
emt. & vend. ablativis absolutis refertam, quid demum  
de illis sentiendum differere nobis decretum est.  
Qui textus juris diversos scilicet l. 2. §. 3. ff. de orig. Jur.  
l. pen. ff. mand. l. 5. C. de naufrag. Deinde l. 6. §. fin. ff. de  
stat. lib. l. 18. ff. de usur. l. 109. ff. de cond. & dem. secum stu-  
diose recolit, non potest non opinari utramque Jcto-  
rnm sententiam legibus & autoritatibus confirmatam.  
prudenti hominum iudicio non adversari. Propterea,  
non subscribendum arbitror doctrinæ existimantium,  
ablativos absolutos non facere conditionem, & ut con-  
ditionem alicubi importare videantur, id tamen non ex  
vi ablativorum arcessendum, sed qualitati & naturæ ne-  
gocii imputandum: Ejusmodi enim conjectura omnibus  
videtur vocibus significandi vim adimere. Quod ta-  
men

men vocabulorum necesitas solidè confutat. Si enim  
negocii qualitas & natura necessitatē inducit, voces  
quoque pro negotiis suppositæ significant necessita-  
tem erit necesse. Sed ut rem ipsam expediamus; licet  
ablativorum absolutorum, qui quibuslibet verbis addi-  
possunt, ut tradit Alvarus *de confit. part. orat. p. 353.* usus  
sit amplissimus, quod diversi eos explicandi ex variis auto-  
ribus nuper producti modi commonstrant; attamen diver-  
sa significandi vis iisdem non est concessa, sed illud dun-  
taxat denotant quod vocabula per quæ explicari solent:  
vel potius non aliam ablativi obtinent significationem,  
quam voces quorum loco elegantiæ gratia collocantur.  
Ut vero constet quarum vocom vices ablativi sustineant,  
non ad hos ob dubium & varium significandi modum  
primo respiciendum, sed ipsorum negotiorum natura in-  
daganda, & qua ratione illa sine ablativis, eorum elegan-  
tia posthabita, sit proponenda. si nunc verba hæc per-  
spicue conditionem significant, non possunt non ablativi  
eorum loco positi quoque inferre necessitatē & facere  
conditionem: si minus nec ablativi necessitatē im-  
portant. Quia non aliam adipiscuntur significationem  
quam voces in quarum locum sunt surrogati, cum  
rerum vocabula sint immutabilia. 4. ff. de leg. 1. Quæ  
regulæ de ablativis absolute positis productæ ut certis-  
simæ, ita neque extensionem neque restrictionem ad-  
mittunt, adeoque ab omni confusione & difficultate ab-  
lativos liberant. Ut vero utraque Regula exemplis col-  
lustretur; primum ex 1. 6. §. fin. ff. de stat. lib. producen-  
dum, ubi liber jesus est rationibus redditis. Hoc nego-  
cium si consideretur agit lex de statu libero qui est nihil,  
aliud

aliud, quam manumissus sub conditione, sensus itaque legis erit, quod jussus sit liber, si rationes reddiderit. quæ voces manifeste indicant conditionem, itaque & ablativi: rationibus redditis pro illis positi conditionem important. Sed in l. 2. §. 3. ff. de orig. jur. exactis deinde regibus lege Tribunicia omnes leges hæ exoleverunt; res ipsa si perpendatur, sensus erit postquam exacti fuerunt reges, ubi nulla indicatur conditio vel necessitas Itaque nec ablativi exactis regibus conditionem important. Porro in præsenti lege 9. C. de contr. emt. & vendit. Placito autem pretio non numerato sed solum tradita possessione juxta negotii naturam, est sensus, ubi placitum pretium non est numeratum, sed solum tradita est possessio, nulla pariter ibi reperitur conditio ergo nec in ablativis desideranda. Cujus veritas clarius constabit ipsam hujus legis mentem si paucis perpendamus. In qua Severus proposuerat se prædium vendidisse & fidem emtoris secutus illud quoque tradidisse, sed vicissim non dari sibi eas res, quas ab emptore dari convenerat. Ponebat itaque se velle irritam esse emtionem quam emtor non adimpleverat & prædium à se traditum repetere. Exoriebatur quæstio utrum Seueri intentio nitatur juris ratione? Quia vero à Severo hæc generaliter proposita erant: distinguebant Impp. aut id quod Severus aut vendor ex conventione inita accipere debebat consistit in quantitate vel in alia re. Si posterius emti & venditi fides i. e. conventio illa inter pacientes inita nullius est momenti, cum certi & manifesti sit juris emtionem & venditionem sine pretio in numerata pecunia consistente contrahi non posse §. 2. Inst. de emt. & vend.

Ex quibus nunc infertur cum hæc conventio dici  
nequeat emptio, quod sit permutatio, d. §. 2. & propter-  
ea posse id quod datum, adversario cessante adimplere  
contractum & præstare de quo convenit, condici. s. §.  
i. ff. d. P. V. Si vero prius obiineat & id quod venditor re-  
cipere debebat in quantitate consistat, i. e. pretium est,  
conventio illa emtio venditio est, adeoque ut ut cessa-  
verit emtor adimplere contractum & præstare pretium,  
contractus initus, qui est nominatus & consensualis, non  
constituitur irritus. Si enim verè quis distractit nec pre-  
tium numeratum est, actio tibi pretii, non eorum quæ  
dedisti, repetitio competit. l. 8. C. de cont. emtr. & vend.  
Imo fide de pretio non habita quamvis rem vindicare  
posit, cum eo casu dominium in emtorem non trans-  
feratur §. 42. Inß. de rer. div. vendicatio tamen contra-  
ctum, emtionem scil. & venditionem, irritum non ef-  
ficit. In arbitrio enim emtoris est, postea oblato pretio  
petere à venditore ut rem venditam tradat §. 1. Inß. de  
emt. & vend. venditor vero tradere recusans moram fa-  
cit l. fin. in fin. deper. & comm. reivend. cum nunc rem  
non tradendo vendor moram faciat, recte inde colli-  
gitur, rem ab eo peti posse, ubi enim nulla mora ibi  
quoque nulla petitio l. 88. de R. f. Non potest itaque &  
hoc casu res peti ut contractus rescindatur. Urgebat  
quidem vendor, emtorem juste & recte non posside-  
rem, nondum pro ea soluto pretio, propter illam ve-  
ro injustam possessionem rem ab eo posse recte vindica-  
ri. Sed negant Imperatores emtorem, nondum soluto  
pretio, rem venditam possidere injuste, possidet enim ex  
justissimo titulo scil. emptionis quæ perfecta simul atque  
de

de prorio conventum licet pretium nondum præstitum;  
*pr. Inst. de emt. & vend.* Sed ulterius objici poterat quod  
 vendor dederit rem ob causam, scilicet ut pretium con-  
 sequeretur. Qua causa non secuta videbatur huic con-  
 dictio esse locus *l. 2. C. de cond. ob cauf. dat.* Sed ne qui-  
 dem hoc obstante non condictionem illam sed actionem  
 de pteo competere, patet ex *l. 14. C. de resc. vend. l. 6. C.*  
*de act. emt.* Datum ob causam, si causa non sequatur con-  
 dicitur ex capite causæ non secutæ, sed in contractibus in-  
 nominatis *l. 1. & tot. tit. ff. & C. de condic. cauf. dat. cauf. non*  
*sec.* non etiam in contractibus nominatis dd. text. Ratio  
 vero diversitatis assignatur facile. In contractu enim in-  
 nominato qui v. g. rem dedit, ut aliam accipiat, non est  
 obligatus ei cui dedit, ideoque rem datam condicere  
 potest, non secuta causa ob quam res erat data. At in  
 contractu nominato, veluti in emtione venditione, ob-  
 ligatio contrahitur ex sola conventione *l. 1. §. 2. de rer.*  
*perm. tit. Inst. de obl. ex conf.* ideoque vendor rem tradi-  
 tam condicere non potuit, quia emtori obligatus erat  
 servare contractum *b. l. & l. 12. C. de contr. emt. & vend.*  
 Extendunt vero Imp. rescriptum ad illum casum ubi ex  
 causa donationis emtio contracta & traditio secuta.  
 Licet enim ipsa emtio invalida sit, adeoque ex ea preti-  
 um actor consequi non poscit, ipsa tamen donatio per-  
 ficitur *l. 3. C. de contr. emt. & vend.* res vero donata &  
 ex causa donationis tradita repeti non potest. *l. 7. C. de*  
*cond. ob cauf. dat.* plura addere non lubet quia prolixiorum  
 legis *g. C. de contr. emt. & vend.* explanationem est factu-  
 rus Clarissimus Candidatus

DN.

DN. M. MATTHIAS NICOLAVS BRAVN,

Prodiit ille auspicatissimo ortu in lucem XV. Cali  
Junii anni Christogonias MDCLXXXIV. quo pestilens  
& fluens per regiones horrenda labes, qua urbes pari-  
ter & agri foedabantur, suum posuerat furorem. Locus  
qui eum exceptit primus est Hentschlebia pagus, quem  
Unstrutum, fluvius non incelebris prælabitur. Patrem  
sortitus est Virum Perquam Reverendum atque Claris-  
simum Dominum IOHANNEM SEBASTIANVM  
BRAVNIVM, Hereditarium in Ziegenhain & Ober-  
topstett, Ecclesiæ quæ Hentschlebia & Vehræ Christo  
colligitur, Pastorem vigilantissimum. Matrem vero  
sculatur DOROTHEAM CATHARINAM DORINGI-  
AM, fœminam pietate cæterisque sexus sequioris virtu-  
tibus ornatisimam. Cum vero juxta Chrysostomi ef-  
fatum, Ecclesiæ Doctoris pietate & facundiæ gloria flo-  
rentissimi, surculus ex bona prognatus radice ex voto  
crescat, si provida ejus cura habetur. Parentes opti-  
mi omnem dederunt operam, ut quem unigenum pro-  
crearent, ex animi sententia adolesceret. Hinc ipse  
Parens doctissimus eum pietatis præceptis formavit &  
iis erudit doctrinis, quibus puerilis ætas imbui debet.  
Græcas pariter & latinas literas, sine quarum ope æque  
difficile est ad sapientiam pervenire quam sine scalarum  
auxilio eniti in alta, per plures ei inculcavit annos. Sed  
cum alacrius decurrat equus, si liberius ei aperiat  
spatium, & ingenia hominum magis incendantur ad a-  
gen-

gendum, si ex domestica & privata informatione in publica emittantur acroateria; annum decimum quartum agens Arnstadium missus est, ut quod ingressus erat, studiorum stadium decurreret. Ibi studiorum moderatores nactus est Viros doctrinæ ac dexteritatis laude Clarissimos Dominum M. IOHANNEM FRIDERICVM TREIBERVM Lycei florentissimi Rectorem meritissimum & Dominum IOHANNEM NICOLAVM FREITAGIVM, Con-Rectorem non minus optimè meritum, quo uim fidem & industriam omnibus extollit laudibus. Sub horum enim ductu in litteris Latinis, Græcis, Hebraicis, quinimo & Syriacis pro ingenii facilitate tantos fecit profectus, ut commilitonibus felicissimæ indolis exemplum esset. His junxit Logices, Politices, Physices & Astronomia rudimenta, ut altiores accedere posset acroases. Initiatus itaque illis elapso fermè triennio Domini Con-Rectoris Freitagii, Hospitis suavissimi suasu ad florentissimum bonarum artium Emporium, Jenam videlicet se contulit, & prid. Id. Maij. Anno MDCCI Rectorales fasces tenente Viro MAGNIFICO atque Excellentissimo Domino GEORGIO WOLFGANGO WEDELIO, Hereditario in Schvarza, Comit. Palat. Cæsar. Consiliario & Archiatr. Ducal. Saxonico, Theoretices Professore ordinario, Academiæ nostræ civem dedit. Collegia publica ab Excellentissimis incluti Philosophici ordinis Professoribus prælecta omni frequentavit industria. Privatim vero à Viri Excellentissimi Domini GEORGII SCHVARTI Polyhistoris celeberrimi, summe Reverendi atque Excellentissimi Domini IOHANNIS PAVLI HEBENSTREITII, S.S. Theologiae Doctoris & Philosophiae

Practicæ tunc temporis Professoris celeberrimi, nunc vero  
Consiliarii Consistorialis & Inspectoris Saxo-Vinariensis  
vigilantisimi, qui Philosophiam & Logicam docebat,  
& Plurimi Reverendi & Excellentissimi Domini IOHANNIS IACOBI LVNGERSHAVSEN, Prof. publ. & Diaconi, qui universæ philosophiæ Principia privatisimis ex-  
planabat horis, ore pependit, non inde avellendum. Unde anno exacto, prævia Disputatione sub moderamine  
prælaudati Domini Profess. LVNGERSHAVSEN de erudi-  
tione academica publicè habita, ab incluta Philosophi-  
ca Facultate lauru philosophica ornaretur, qua, quod di-  
gnus esset, postea disputationem de dominatu Pontificis  
Romani publico eruditorum examini Præses subjiciens,  
ubertim commonstravit. Præparatus ita igitur summam  
studiis academicis impositurus manum, nobilissimum  
Juris studium aggressus est & hac fini lectionibus juridi-  
cis tam publicis quam privatis frequens interfuit. Au-  
ditivit audissime Magnificum & Excellentissimum Do-  
minum IOHANNEM PHILIPPVM SLEVOGTIVM  
ICTUM, Consiliarium Saxonicum & Antecessorem, Facul-  
tat. Jurid. & Scab. Seniorem venerandum, Curiæ provin-  
cialis assessorem celeberrimum, Principia juris Canonici  
exponentem. Visitavit solerter Illustris atque Excel-  
lentissimi Domini CHRISTIANI VVILDVOGEL ICTI,  
Consiliarii Saxo-Isenacensis intimi, Cur. provin. & Scab.  
nec non Facult., jurid. Assess. gravissimi Lectiones publi-  
cas, quibus Auream illustravit Bullam. Publicis lectioni-  
bus junxit privatas peculiarem navanteoperam Nobilis-  
simu atque Consultissimo Domino IOHANNE VVIL-  
HELMO DIETMARO, Jur. Utr. Doctore ac Practico  
fami-

famigeratissimo in tradendis primis legum lineamentis,  
 Schnobelio , Lauterbachio , Struvio ac aliis. His instru-  
 ctus me duce ad Jura Feudalia & Publica se accinxit ;  
 ad instar ταδιοδέους indefessi, qui non sistit gradum quan-  
 do dimidium emensus est stadii, sed omnes intendit ner-  
 vos, ut metam attingat præfixam quam anhelat cupidis-  
 sime omnem adhibens industriam. Quoniam omnes  
 boni Musarum cultoris numeros ex asse implevit , di-  
 gnus omnino est, qui pro merito condecoretur præmio  
 & honore. Lubentissimi honoris ei aperuimus adytæ  
 & exantlatis rite examinibus pro more Majoribus rece-  
 pto in Cathedra eum sistimus publica. Acquisitam ve-  
 ro juris notitiam, præter omnium expositurus oculos, ea,  
 qua est dexteritate & felicitate ingenii, Facultatis nostræ  
 indultu, declarabit cras, feliciter annuente Numine su-  
 premo , loco horisque consuetis, sæpius allegatam l. 9.  
*C. de contr. emt. & vend.* Splendidior reddetur hæc panegy-  
 ris & illustrior si Serenissimus Princeps Iuventutis Dux  
 Saxoniæ & reliqua , Pro - Rector Magnificus , Illustrissi-  
 mi Comites, Proceres Aulæ, Academiæ Patres Conscri-  
 pti, omnium facultatum Doctores Nobilissimi et lectis-  
 simus Studiosorum Coetus eam sua condecorabit præ-  
 sentia. Id quod humillime officiose & humaniter ro-  
 go & contendō. P.P. Jenæ D. XXV,

Oct. MDCCV.



OF MEG





Jena, Diss., 1705 A-55

ULB Halle  
006 839 045



3

VD 18





H. BERNHARDI ~~Griesen~~ / JCTI  
 ONSILIARI Saxonici AVLICI ET CON-  
 GISTORIALIS, ANTECESSORIS ET FA-  
 CVLTATIS IVRIDICÆ ADSESSO-  
 RIS, IAM DECANI

## ROGRAMMA INAUGURALE

*De*

enuina *Ablativorum absolutorum*

Indole

Occasione leg. 9. C. de cont.  
 emt & vendit.

---

LITERIS WERTHERIANIS.

Mattl. M. Braun